



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 39. Nuptiæ inter secundo genitum filium, & viduam Arturi Principis ab Angliæ Rege conciliatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1503.

*Nuptiæ inter secundo genitum filium,
& viduam Arturi Principem ab
Angliæ Rege conciliatæ.*

Jam nuper memoravimus, quod Arturus Regis Angliæ Filius natu major e vivis ereptus fuisset; percepto autem mortis nuntio Hispaniæ Rex quantocius misso ad Henricum Legato mœrorem de ipsius obitu dolenter testabatur; præcipuum tamen hujus legationis caput erat, ut Walliæ Principissam relictam Arturi viduam unacum dote nimirum centum aureorum millibus repeteret, præter tertiam Principatus Walliæ partem huic viduæ ex bonis Mariti relictam: Cum vero utrumque haud exigui momenti res videretur, atque Henrico vires, aut forte potius voluntas ea reddendi deesset, varias obtendit rationes, ob quas Nurrum suam retinere contenderat, haud ignarus, quod ex hac cum Hispania affinitatis conjunctione illud obsequium, quod Ludovicus XII. prosecutus esset, descendere, illumque hoc pacto a prosequendo jure suo, quod illi in Caletum competeat, præpediret. Quapropter Legato respondit, sibi equidem gratissimam esse officiosam doloris significationem, quam ob jacturam filii Rex Catholicus

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.
cus testatus esset, se vero virtutum splendore, ac animi dotibus, quibus relicta Filii sui natu majoris conjux emereret, adeo captum esse, ut illam Henrico secundo genito desponsare constituisset; hunc enim obeunte Fratrem suo in Walliæ Principem renunciatum, legem vero, quæ hisce nuptiis obstaret, se sperare eo facilius solvendam, cum Arturus Sponsam suam carnali conjunctione nunquam violasset, ut proin nullum aliud obversetur impedimentum, quam quod *publicæ honestatis* appellare solent, illud tamen dissolvi posse, usu ferme quotidiano comprobatum esset.

§. XL.

Regis Catholici consensus in hæc nuptias, præmissa Pontificis dispensatione.

Rex Catholicus hoc responso ad se delato nuptias ratas habuit, ea tamen lege, ut prius a Pontifice legis gratia fieret, cum autem Emanuelli Lusitanæ Regi duas sorores ducere facile antea concessum esset, hinc Ferdinandus fiduciam concepit, Julium quoque secundum Alexandro VI. haud severiorem fore, proin eandem gratiam Regiæ Filiæ concessurum. Hac spe freti ambo Reges Anglus, atque Hispanus die vigesima tertia Junii